

Et sic visio beata, quæ adhæret immutabili principio, et unio hypostatica, quæ Deo immediate unit, non ex subjecto in quo sunt, sed ex propria, et formali ratione sua habent perpetuari in subjecto, quia potius trahunt subjectum ad quamdam immutabilitatem, et perpetuitatem supra proprium modum suum, et sunt participationes quædam immutabilitatis divinæ. Non vero ita se habent alia dona gratiæ, quæ dantur pro hac vita, et non pertinent ad gratiam consummatam, quia gratia sic data proportionatur modo operandi ipsius subjecti, et licet elevant ipsum ad operandum actus quoad speciem supernaturales, non tamen, ut in modo operandi elevantur subjectum ad immutabilitatem, et perpetuitatem.

XXVIII. Sed objicies ex doctrina D. Thomæ, III part. quæst. LXIII, articulo v ad primum, ubi docet, quod gratia est forma completa in anima, ideoque non habet perpetuitatem de se, quia recipitur ad modum subjecti, et sequitur conditionem ejus; character autem est vis instrumentalis non habens perfectum, et completum esse in subjecto, et potest perpetuitatem habere, quia in hoc non regulatur penes conditionem subjecti, sed penes impressionem principalis agentis. Visio autem non est forma instrumentalis, et incompleta, sed consummata, et perfecta, ergo recipietur juxta conditionem subjecti. Sed respondetur D. Thomam loqui ibi de gratia viæ, non de gratia consummata patriæ, ut patet in verbis, quæ ibi subdit: « Quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium, quamdiu est in statu viæ, consequens est quod gratia insit animæ mutabiliter. » Vult autem D. Thomas ponere differentiam inter characterem, et gratiam, supponendo utrumque recipi in anima manente in suo modo

mutabili operandi, nec ad modum immutabilem operandi elevata: in hac enim suppositione, optima est differentia, quod una sequitur modum subjecti, quia est forma perfecta, et completa, et sic recepta in illo; altera est quædam incompleta impressio superioris agentis, et sequitur perpetuitatem impressionis ejus. At vero forma, quæ immutabiliter conjungitur suo principio, et supra omnem modum mutabilem in essendo, et subsistendo, ut unio hypostatica, vel in operando, ut visio beata elevant, non sequitur modum, et conditionem subjecti, sed supra ipsum ponit, et sic habet perpetuitatem.

XXIX. Ad id quod dicitur, quod anima potest amittere esse, et sic etiam visio corrumpi, respondetur animam non posse desinere, nisi per annihilationem, quam non negamus Deum facere posse de potentia absoluta, licet non secundum connaturalem exigentiam subjecti: hoc autem non tollit, quod connaturaliter, et ab intrinseco visio ipsa, sicut et anima, et Angelus, incorruptibilis, et perpetua sit. Si autem desineret, et annihilaretur Angelus, vel anima, diceretur corrumpi visio ad corruptionem, et desitionem alicujus rei naturalis, non tamen connaturali modo desinentis, sed de absoluta potentia, sicut etiam visio ipsa desinere potest. Non est autem inconueniens, quod ex desitione alicujus rei naturalis perpetuæ, et desinentis per solam potentiam divinam, desinat etiam visio beata, non obstante ejus perpetuitate; quia tota hæc desitio est, non ex natura intrinseca, et principiis ipsius visionis, sed ex voluntate, et potentia extrinseca Dei.

XXX. Ad id vero quod dicitur de dependentia visionis a causa instrumentali influente ei lumen, respondetur lumen gloriæ, et gratiam,

cæteraque dona supernaturalia, non dependere intrinsece, et essentialiter ab aliqua causa instrumentali, sed solum ex mera voluntate Dei volentis adhibere illam causam instrumentalem ad talem effectum, ut patet, quia data est gloria, et gratia Angelis, et primo homini, et Christo sine causa instrumentali humanitatis, aut sacramentorum. Unde ad suspensionem, et cessationem influxus causæ instrumentalis, non cessabit visio, et lumen gloriæ, nisi voluntas Dei velit suspendere influxum suum, et annihilare illam ad voluntatem, et cessationem causæ instrumentalis; sed tunc non cessat ex influxu agentis creati per se primo, sed ex suspensione concursus divini.

DUÆ DUBITATIONES CIRCA INCORRUP-  
TIBILITATEM VISIONIS.

XXXI. Duo tamen inquires. Primum, circa modum loquendi Vazquez, an sit dicenda visio beata incorruptibilis ex natura sua, et simpliciter; an solum secundum quid, et per ordinem ad agens creatum, præsertim sumendo ly incorruptibile pro indestructibili; est enim quid communius destructibile, quam corruptibile. Respondetur rem hanc non magni momenti esse, et a nobis ejus resolutio tradita est in II tomo, I part. in materia de Angelis, circa quæstionem v. Ubi circa Angelos idem sentit Vazquez, quod circa visionem beatificam, et nos diximus Angelos simpliciter ex natura sua esse incorruptibiles, quia non dicunt capacitatem, et habitudinem ad causam corrumpentem corruptione proprie dicta, id est, corruptione distincta ab annihilatione, eo quod corruptio distincta ab annihilatione, non fit per suspensionem concursus influentis totum esse, sed

per destructionem formæ, cui succedit alia in eodem subjecto. Et ad hoc non est capacitas in Angelo, vel anima rationali. Si autem sumatur ly corruptibile improprie, et indistincte ab annihilabili, tunc Angelus, et anima, et visio beata non dicetur ex natura sua annihilabilis, sed ex potentia Dei extrinseca, ex principiis vero intrinsecis solum dicetur non repugnans annihilationi.

XXXII. Declaratur hoc, quia principia intrinseca, ex quibus Angelus, vel quælibet creatura componitur, non inclinant ad nihil, seu ad non esse, sed potius ad esse, naturaliter enim suam conservationem desiderant, non suam destructionem. Ergo ex principiis propriis non sunt annihilabiles, id est, non inclinantur in annihilationem, quia est purum non esse. Secus est in rebus corruptibilibus, quæ inclinantur in corruptionem saltem secundario, quia inclinant in formam oppositam destructivam præcedentis, nusquam vero in ipsum non esse inclinant, nec primario, nec secundario. Cæterum quia potentia divina potest suspendere suum influxum dantem esse, si quidem libere dat, creatura habet non repugnantiam, et non resistantiam ad non esse.

XXXIII. Secundum quod inquires est, an ista perpetuitas sit intrinseca visioni tamquam prædicatum essentialiale, vel tamquam proprietas, seu propria passio, id est, an conveniat illi in primo modo per se, vel in secundo. Distinguendum est pro hujus explicatione de perpetuo, seu incorruptibili radicaliter, et formaliter: sicut etiam hoc duplici modo sumi solet suum oppositum, scilicet corruptibile. Corruptibile, vel incorruptibile radicaliter, est ipsa substantia rei, quæ petit corrumpi, vel repugnat corrumpi. Formaliter ex ipsa actualis duratio

mutabilis, vel immutabilis, et perpetua, seu dispositiones ipsæ, quibus aliquid disponitur ad corruptionem, vel repugnat corruptioni, et sic durat perpetuo.

XXXIV. Igitur si sumatur incorruptibile radicaliter, certum est convenire aliquibus creaturis tamquam essenziale prædicatum, et genericum; est enim una ex differentiis prædicamentalibus, sicut patet quod substantia dividitur penes corruptibile, et incorruptibile, tamquam per differentias essentielles. Et bene stat, quod actuale exercitium conveniat accidentaliter alicui, radicale autem exercitium, seu potius capacitas ad illud sit essenziale: sicut substantia essentialiter est ens per se existens, licet ipsa actualis existentia sit illi accidentaliter, illi enim solum essentielle est, quod sit capax; et exigens existere per se, et non in alio, si producat, et existat. Et possibilitas ad existendum est prædicatum essenziale creaturæ, non tamen ipsa existentia actualis. Sic ergo esse radicem, et principium, ut res non corrumpatur ab aliquo agente creato, et quod perpetuo duret, si semel producat, essenziale prædicatum est rerum incorruptibilium; e contra vero esse radicem, et principium corruptionis in rebus corruptibilibus est prædicatum essenziale, utpote gradus genericus, ut dictum est. Et advertet, quod non est idem dicere, quod ly corruptibile etiam radicaliter sumptum sit essenziale prædicatum, et quod conveniat illi per essentialitatem, ita quod Angelus, aut anima, aut visio beata sint perpetua, et incorruptibilia per essentialitatem. Nam esse tale per essentialitatem plus dicit, quam esse aliquid essenziale, scilicet, esse tale non per participationem, sed a se, et hoc solum convenit Deo; creaturis autem omnia prædicata etiam si essentialia sint

conveniunt per participationem, quia non sunt entia a se, sed a divinis ideis exemplata. Esse autem tale essentialiter solum dicit, quod sit tale secundum connexionem necessariam in primo modo prædicandi per se.

XXXV. At vero circa perpetuitatem formalem, et exercitiam, id est, circa actualem durationem in perpetuum, dissidium est inter aliquos, an sit de ratione intrinseca beatitudinis; sicut etiam de securitate dubitatur, an sit de ratione beatitudinis. Nam p. Vazquez hic disputat. XXI citata, cap. III sentit, quod actualis duratio non est de ratione visionis, potest enim visio desinere esse. At vero de ratione visionis, ut beatificantis, seu de ratione ipsius beatitudinis dicit, quod est actualis duratio perpetua; sicut si dicamus, quod esse album non est de ratione hominis absolute, bene tamen de ratione hominis albi. Eum vero valide impugnat Montesinos hic quæstion. V, articulo. IV, disputat. VI, quæst. VIII, §. III. Qui docet in hac parte loquendum esse de beatitudine, sicut de aliis rebus incorruptibilibus, ut de Angelis, et animabus, in quibus actualis duratio, et existentia non est de eorum intrinseca ratione, licet radicaliter sint ab intrinseco incorruptibiles.

XXXVI. Certe hæc ultima sententia doctoris Montesinos, non solum probabilior, sed omnino mihi certa est; nam sive beatitudo sumatur pro ipsa visione entitative, et physice, sive pro statu, aut pro ipsa denominatione beatitudinis, semper est aliquid creatum; nullum autem creatum sive sit entitas, sive denominatio, sive quidquam aliud capax existentiae, et durationis in eo modo, et gradu, quo existentiae capax est, habet existentiam actualem, seu exercitium ejus pro prædicato essentiali, et intrinseco, sed pro contin-

genti, alias vel existeret a se, vel necessario, et non libere procederet a Deo, nec per voluntatem ejus existeret, sicque esset ab æterno talis creatura quod totum est erroneum. Quare cum visio etiam in ratione beatitudinis sit aliquid creatum, impossibile est quod ejus existentia non sit prædicatum accidentale, et libere communicatum a Deo, cum per productionem ad extra proveniat: productio autem Dei per liberam voluntatem est: *Omnia enim per ipsum facta sunt*, Joann. X: *Et quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses*, Sapient. XI.

XXXVII. Quod si existentia libere est a Deo, etiam et duratio, quia hæc nihil est aliud, quam continuatio existentiae. Quare ipsa actualis duratio, et exercitium existentiae non potest esse de ratione intrinseca, et essentiali beatitudinis creatæ, etiam ut beatitudo est, et sub hac denominatione, si sub hac denominatione capax est existentiae. Si enim sub illa denominatione, et formalitate beatitudinis est capax existentiae, utique capax est existentiae creatæ, ergo contingenter, et accidentaliter convenientis, quia existentia creata libere est communicata. Et hoc constat, quia si ipsa entitas visionis desineret, etiam status ipse, et denominatio beatitudinis periret; ergo manifestum est ipsam existentiam denominationis, et status non minus esse contingentem, quam existentiam entitatis visionis. Si vero non est capax existentiae sub illa denominatione, ergo neque est capax perpetuæ existentiae; frustra ergo dicitur esse de ratione illius perpetua duratio.

XXXVIII. Nec dici potest, quod est de ratione beatitudinis non absolute, et entitative, sed sub reduplicatione quatenus beatitudo, et quatenus beatificans est, sicuti de ratione rei creatæ, ut productæ, vel ut operantis

est existentia, non tamen est de ratione ejus absolute, et simpliciter. Sed hoc dici non potest; nam beatitudo, vel sumitur, ut actu producta, et communicans effectum suum in exercitio ipsi subjecto, et sub hac reduplicatione certum est essentialiter illi convenire existentiam, non ex sua specie, sed ex illa reduplicatione. Sed hoc commune est omni formæ sub reduplicatione ista considerata, non proprium beatitudinis, quod tamen intendit Vazquez, alias nihil peculiare de beatitudine dicit. Vel sumitur beatitudo secundum se, et prædicata sua intrinseca, seu quoad specificationem suam. Et secundum hanc considerationem non potest esse de ratione ejus intrinseca actualis existentia, seu duratio; quia sub hac consideratione etiam potest beatitudo concipi ut possibilis, et nondum existens actu, et sic accidentaliter, et contingenter ei advenit actualis existentia, sicut Angelo, et animæ; licet si semel adveniat, juxta principia intrinseca talis rei exigat, quod a nullo creato agente corrumpi possit, atque adeo quod sit perpetua, licet a libera Dei voluntate sit dependens, et ex hac parte corruptio contingenter ei conveniat. Nec amplius requiritur ad perpetuitatem beatitudinis, nisi quod in sua intrinseca ratione talis sit, quod a nulla causa creata possit destrui, et de voluntate Dei sit segura, quod non suspendet suum concursum ad ejus desitionem, nec pœnitebit de tali beneficio semel dato, quia: *Sine penitentia sunt dona Dei*. Non tamen requiritur, quod hæc duratio, et existentia actualis derivata ex libera actione Dei sit prædicatum illi intrinsecum, et essenziale, si quidem ex libera Dei communicatione ei convenit. Beatitudo autem ex ipsa essentia beatitudinis solum dicit assecutionem summi boni, ex quo consequenter

sequitur, quod exigit perpetuam durationem; respectu quidem causarum creaturarum per totalem repugnantiam et impossibilitatem, ut destruat; respectu vero causæ primæ per influentiam continuam, non essentialiter debitam, sed conaturaliter, quia Deus nunquam suspendit concursum, nisi contraria forma, seu agens id exigit. Contingenter tamen illa existentia ei convenit, quia potuit a Deo non produci, et potest de absoluta potentia non conservari.

XXXIX. Quod si inquiras, an eodem modo sit essentialiter annexa beatitudini securitas, sicut et perpetuitas, respondetur in hoc etiam Vazquez convenire, quod actualis securitas non sit de essentia beatitudinis, sed solum quoad sufficientiam, et potestatem securitatis. Nam si beato Deus occultaret, et de facto esset ei auferenda illa visio, vere tamen, et in re esset perpetua, talis adhuc vere esset beatus, quia quod ignoret perpetuitatem illam, quam in re habet, per accidens est, in re autem habet beatitudinem tali modo, quod sufficiens est de se dare illam securitatem, eo quod de se perpetua est, et quod de facto non det illam securitatem, non est ex deficientia sui, sed ex ignorantia subjecti. Et in hoc verum dicit Vazquez, sed tamen ex eodem principio potest inferri eadem doctrina circa perpetuitatem, quam ipse tenet circa securitatem, videlicet quod sufficit beatitudinem esse ex se sufficientem durare in perpetuum: tum, quia a nullo creato agente dissolvi potest, nec intellectus ab illa cessare; tum, quia Deus nihil annihilat per suspensionem concursus conaturaliter operando ad naturas rerum. Et hoc sufficit, ut ab intrinseco sit beatitudo perpetua, licet actualis ejus duratio, et existentia sit prædicatum contingens, et possit

per absolutam potentiam Dei desinere esse: sicut ex eadem potentia potest permitti ignorantia de ista perpetuitate in beato, et sic actualiter non excludi timorem, et tamen substantialiter erit beatus, quia habet radicem, et sufficientiam excludendi, licet per accidens non excludat: sic quia de se habet radicem, et sufficientiam durandi perpetuo, est substantialiter beatitudo, non solum quoad speciem, sed quoad denominationem, et statum beatitudinis, licet de facto per accidens non duret. Quod si daretur talis visio, quæ ex sua natura non postulare illam indeficientiam, sed per causas creatas posset deficere, aut ex natura sua postulare, ut a Deo destrueretur, talis aut non esset visio beata, aut non hujus speciei, qualis est, quæ modo ex sua specie beatificat.

XL. Quod si inquiras: Si est ista visio ex sua natura æterna, qua mensura mensuretur, an mensura ævi, vel alia superiori, ad hoc respondimus 1 tomo, 1 part. disputat x, mensurari peculiari mensura æternitatis participatæ, quæ est superior ævo mensurante substantiam Angeli. Videatur ibi.

#### SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XLI. Primo arguitur ad probandum visionem beatificam non esse ex sua intrinseca ratione perpetuam, sed solum ex voluntate extrinseca Dei. Nam visio quæ modo est in beatis, et quæ fuit in Paulo in hac vita, sunt ejusdem speciei; sed hæc non est perpetua ex sua intrinseca natura, sed temporalis; ergo neque illa. Et idem argumentum fit de gratia, et charitate, quæ sunt ejusdem speciei hic, et in patria durant in perpetuum, non minus quam ipsa visio, hic autem quo-

fidie destruuntur; ergo non ex sua intrinseca specie, et natura, sed ex accidentali statu hæc omnia reduntur perpetua. Major manifesta est, quia visio divinæ essentiae in Paulo, et in beatis habet idem specificativum, nempe divinam essentiam clare visam in se, ergo et eandem speciem. Minor etiam constat, quia visio collata Paulo fuit data per modum transeuntis, et sic stantibus omnibus suis prædicatis essentialibus, non repugnavit corrumpi, et de facto desiit: ergo si perpetuo durat, non est ex vi suorum prædicatorum essentialium, sed ex accidenti: sicut etiam durabunt corpora beatorum in perpetuum, non ex aliquo prædicato intrinseco, sed ex aliquo accidenti superaddito.

XLII. Confirmatur, quia principium proximum hujus visionis, neque secundum se, neque ratione sui subjecti habet ex natura rei, quod non possit desinere; ergo neque ipsa id habebit, neque secundum se, neque ratione sui subjecti. Consequentia est manifesta, quia mutabilitas, vel immutabilitas visionis ex suo proximo principio provenire debet, et ita si ex hac parte non est incorruptibilis, non id habet ex natura sua. Antecedens vero probatur, quia principium visionis beatæ est intellectus creatus elevatus lumine gloriæ, et constitutus in actu primo per unionem divinæ essentiae loco speciei. Ex neutro autem principio postulat durationem perpetuam. Non ex lumine gloriæ, quia hoc non est debitum quod conservetur in subjecto per aliquam certam durationem, nec etiam per unam horam, quia lumen gloriæ est accidens supernaturale, quod neque in fieri, neque in conservari est debitum ipsi intellectui; neque etiam est debitum esse situmini, quia cum accidentis esse sit inesse, non est judicandum quod

sit debitum conservari ex natura accidentis, sed ex parte subjecti, et principiorum ejus. Et idem iudicium est de unione essentiae divinæ in ratione speciei, quia etiam hæc est accidentalis, et supernaturalis ipsi subjecto. Et sicut judicatur aliquod accidens esse naturale, vel supernaturale ex conditione, et comparatione ad subjectum, ita etiam quod sit debitum, vel indebitum conservari in eo, debet judicari ex conditione subjecti. Nec enim hic inquirimus de duratione, et perpetuitate luminis gloriæ secundum se, sed prout in subjecto, an habeat perpetuitatem in illo, quod utique ex principiis subjecti judicandum est, sicut enim lumen gloriæ in ipso fieri non est debitum subjecto, ita neque in conservari, et sic non postulat perpetuari in tali subjecto ex natura sua: quod etiam videmus in aliis accidentibus, ut si lux non est debita aeri in suo fieri, neque in suo conservari, et perpetuari; quia vero est debita soli in fieri, etiam in conservari.

XLIII. Respondetur concedendo visionem divinæ essentiae, quæ modo est in beatis, et quæ fuit in Paulo esse ejusdem speciei, et utramque ex suis principiis intrinsecis postulare perpetuitatem, licet de facto, et in exercitio sit denegatum hoc visioni Pauli (sicut etiam Angelus modo durans perpetuo, et durans per unam horam tantum, sunt ejusdem naturæ, et uterque postulat perpetuitatem, licet de facto sit negata uni, et non alteri) quia de potentia absoluta Dei potest destrui lumen gloriæ, et visio, et consequenter dari tale lumen per modum transeuntis; et sic dicitur dari per modum auxilii, non quia verus, et proprius habitus non sit, sed quia ex modo quo datur, datur sicut auxilium, scilicet non permanentiter. Hoc tamen non est secundum natu-